



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An pater Filiæ nubenti teneatur dotem constituere, etiamsi aliunde
dives sit, & etiam, se invitô, nubenti?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS LXXXI.

*De dote, divortio, & alimentis uxori à marito
suppeditandis.*

CRispina habens aliunde ex bonis propriis, quantum sufficit ad competentem dotem, invitis parentibus nupsit sempronio, cui per biennium convixit gemina suscepta prole, sed cum postea à marito malè tractaretur, recessit à mariti consortio, ad quem, licet sæpiùs revocata, redire renuit.

QUÆR. I. An pater filie nubenti teneatur dotem constituere, etiamsi aliunde dives sit, & etiam, se invito, nubenti?

QUÆR. II. An maritus graviter peccet uxorem graviter verberando? & an id sit justa causa divortii faciendi?

QUÆR. III. An & quando maritus teneatur alere uxorem factò divortii?

QUÆR. IV. An, & quando, factò divortii, alenda sit uxor etiam tunc, quando & mariti culpà & suà proprià ab eo recessit?

468

AD I. Q. I. Membrum, supponendum est, patrem teneri dotem filie constituere, quam matrimonio collocat (exceptis iis casibus, & causis jure expressis, ob quas potest filiam exheredare) uti tenet communis, teste Molina D. 424. & expressè habetur l. qui liberos ff. de ritu nupt. & l. fin. C. de do-

ris promiss. & l. 3. t. 11. p. 4. & quidem etiam pro casu, quo filia matrimonio collocata est ex patris consensu, & absque dotis mentione, prout contra Bartol. l. obligamur, n. 1. ff. de act. & non nullos alios docent cum Gl. l. obligamur, verb. lege, ff. de act. & oblig. Abb. c. 1. n. 6. de despons. impub. Bald. Auth. res, qua, n. 10. C. com.

com. de lege Cov. 4. der. 2. p. c. 3. §. 8. Molin. l. 2. de primog. c. 16. n. 7. Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 189. Sanch. l. 4. D. 26. n. 4. Ripa dicens esse plerorumque l. 1. n. 56. ff. sol. matr. & ratio est, quia dos non tantum constituitur filię, ut virum inveniatur, & alimenta habeat, sed etiam ad sustentanda matrimonii onera, C. Sabulricer de usur. l. pro onerib. C. de jure dotis. & ne à viro spernatur, auth. de nupt. §. si quis itaque &c. & insuper quia pater ad duo obligatur, scilicet ad filias matrimonio collocandas, & ad dotandum, l. qui liberos. 19. ff. de rit. nupt. ergo licet primum adimpleverit, tenebitur ad secundum. An autem teneatur pater dotare filiam divitem, ratio dubitandi esse potest; quia non tenetur pater filię diviti præstare alimenta, ergo neque dotem, eò quòd alimenta, & dos in jure æquiparentur. Sed

Tenendum est cum Menochio de præsumpt. l. 4. præsumpt. 189. cum Bonac. D. 6. q. unic. pun. 6. §. 2. Ripa l. c. n. 55. Bald. Cov. Jason. Sanch. l. c. aliisque supra relatis, quamvis pater non teneatur filię diviti præstare alimenta, obligari tamen ad dandam illi dotem. Ratio est juris dispositio, l. fin. C. de dotis promiss. l. 8. t. 12. p. 4. l. qui liberos cit.

Unde non valet in hoc casu argumentatio ab alimentis ad dotem, R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

tem, sed causa dotis in presenti favorabilior est ob claram juris dispositionem, quã hãc Standum est.

Ad 2. Q. 1. membrum, an pater filiam, se invito, nubentem dotare teneatur? Variant DD. & quidem, si filia major sit 25. annis, obligari patrem ad eam dotandam docent probabilius Sanch. l. c. n. 11. Bonac. l. c. Menoch. Ripa, aliique apud Sylvest. verb. dos q. 4. & citatos; idque, etsi indigno nubat. Rationem dant, quia filię ex consensu patris nubenti absque dotis promissione tenetur pater dotem constituere, ut patet ex supra dictis; filię autem majori non est culpæ tribuendum, quòd nupserit sine patris consensu, cum pater fuerit in mora, auth. sed si post. C. de inofficiis. testam. & l. 5. tit. 7. p. 6. atque adeò patris culpæ id adscribendum est, quòd filiam matrimonio collocare neglexerit, non filię, quæ proin dote privari non debet.

Major est controversia, & DD. dissensio de filia minore 25. annis, invito parente, nubente. Ubi prima aliquorum sententia indistinctè docet teneri patrem dotare, quando filia nupsit digno, secus quando nupsit indigno; Alii verò cum Rotell. V. hereditas n. 10. Sylv. q. 4. Angel. V. dos, n. 4. distinguunt, ajuntque teneri patrem dotare, si

T t t

filia